



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**


**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

XXI. Novembris. S. Colvmbanvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S**COLVMBANVS in Hyberniâ, regione Lagenorum, ex nobilibus parentibus procreatus fuit. Eum mater vterò adhuc cum gereret, velut solem procedere, nimioq; fulgore vniuersum orbem implere, per somnium vidit. In literis ita profecit, vt intra ipsos adolescentiæ annos in Psalmorum librum doctissimos commentarios, pluraq; alia ederet. In Benchorensi cœnobio à B. Commogello Abbate in monachum attonsus, cum & Euangelii Dei, & salutis animarum zelo apprimè arderet, obtenta demùm ab Abbate licentiâ, XII. ex eodem collegio socios accepit, & in Britanniam, mox etiam in Galliam traiecit. Vbi cum annis multis gentilium conuersioni fructuosè admodum incumbere, Monasteria diuersa erexit; atq; in primis Luxouium, deinde Fontanas. Ipse corticibus arborum, & herbis in saltu nasci solitis, crebriùs vesceretur. Miraculorum donum ita habuit, vt quotidianis propemodùm fulgeret. E petra enimaquam, Moysis instar produxit. Escas cœlitus non semel habuit. Absentia velut præsens cognouit. Languentium fratrum multitudinem per obedientiæ exercitium mirabiliter curauit. Discipuli digitum præscifum saluâ adglutinavit. Moribundi animam, modo admirabili è corpore ne exiret, quoad voluit, detinuit. Sed impium, Theodoricæ Burgundiæ regis concubinatum redarguere cum non cessaret, Brunehildis, & aulicorum factionibus è monasterio Luxouensi, totoq; regno proscripius fuit. Nec multò post Bobiense Cœnobium in Apennino saltu cum fundasset, innumeris propemodùm miraculis clarus, animam exhalauit XXI. Nou. A. C. DCXV.

vel XXII. *Ex eius vita apud Sur.*





S. COLVMBANVS ABBAS ORD. S. BEN,  
*Ipse COLVMBANVS Stoicis duresus ab opis.*  
*Tot legitur varijs Claustra locasse locis.*